

DISPUTATIO POLITICA
 DE MONARCHIA,
 PRIORE REIPUBLICÆ SPE-
 CIE, EJUSQUE IN TYRANNI-
 dem degeneratione;

Quam,
 Divinâ aspirante gratiâ,

Sub præsidio
 VIRI CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI,
 DN. PHILIPPI HOENONII J. U. D. ET POLITICÆ
 in celeberrimâ Nassovicâ-Sigenensî scholâ Professoris,
 præceptoris sui debitâ observantiâ
 colendi,

Exercitii ordinarii gratiâ,
 Literarum & Politices studiosis publicè ventilan-
 dam proponit

PAULUS KUTNAUR à Sonnenstein
 Bohemus Pragensis.



HERBORNÆ NASSOVIORUM
 Ex officina Christophori Gœtzi.

ANNO 1607.

DE MONARCHIA
FRANCIE
LIBER PRIMUS
CAPITULUM PRIMUM



DE

R

Male
plina
strem
caro
Fran
beru
sent
ata
nat
in Ma

M
cura con
a) Vi
num 3
primu
Gregor
got. d. lo
III. I
nial. die

Ali
em, in qu
in unius

DISPUTATIO POLITICA

DE MONARCHIA, PRIORE
REIPUB. SPECIE, EJUSQUE IN
Tyrannidem degeneratione.

THESIS I.

Respublica in species dividitur cum respectu formæ, tum respectu subjecti.

II.

Respectu formæ Respublica est vel Monarchia, vel Polyarchia. Respublicæ species mixta nulla est.

Malè igitur septem Respublicæ species à Polybio lib. 6. de militari ac dom. st. Rom. disciplina enumerantur, tres vitiosæ & totidem laudabiliter institutæ, septima ex tribus postremis temperata, hoc est, mixta & composita. Polybium secuti sunt Dionysius Halicarnassicus lib. 2. M. Tullius in fragm. de Republ. Thomas Morus, Caspar Contarenus, Franciscus Machiavellus, Johan. Casus in sphaera civitatis lib. 3. cap. 5. pag. 103. Lambertus Danæus lib. 1. polit. Christ. cap. 6. pag. 49. & pleriq. alii uno veluti consensu eam sententiam probarunt. Sed bene eos refutat Johan. Bodinus lib. 2. de republ. cap. 1. Probat etiam divisionem hanc nostram Cornelius Tacitus lib. 4. annal. Cunctas, inquit, nationes & urbes aut populus, aut primores (scilicet in polyarchia) aut singuli regunt (ut in Monarchiâ) & ex Tacito Lipsius lib. 2. civil. doct. cap. 2.

III.

Monarchia est Respublica, ubi unî alicui præcipua gubernationis cura commissa est a. Unus ille dicitur Monarcha b.

a) *Vide Danæ. lib. 1. polit. Christia. in Aphorismis profan. sub tit. Quot Reipub. forma. num. 3. pag. 71. b) Solet & aliter Monarcha variè appellari: I. Summus princeps, quasi primus & præcipuus ordine, autoritate, dignitate & suffragio, præcipuas partes obtinens. Gregor. Tholofan. lib. 6. de Republ. cap. 4. pag. 313. II. Dux ab exercitu ducendo, Gregor. d. loco cap. 7. pag. 322. III. Rex à regendo, Gregor. ibidem, cap. 8. pag. mibi 324. IIII. Imperator ab imperando, Gregor. d. loco, cap. 9. pag. mibi 329. Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 1. cap. 2.*

IV.

Aliter Monarchiam definit Bodinus, nimirum Respublicæ speciem, in quâ penes unum summa totius Respublicæ potestas est a: five cum in unius dominatu versatur Respublicæ majestas b: & is unus omnia ma-

jestatis jura per se possidet *c*, ac proinde post Deum immortalem se ipso majorem videt neminem.

a) *lib. 2. de Repub. cap. 2. in princ.* b) *d. lib. 2. cap. 1. circa princ.* c) *lib. 1. de repub. cap. 8. & 9.*

V.

Majestas Bodino *a* est summa in cives ac subditos legibusq; soluta potestas. Jura majestatis eidem *b* sunt hæc septem: I. Legem universis ac singulis dare posse sine superiorum, æqualium, inferiorum consensu. II. Bellum indicere ac pacem inire. III. Magistratus mandare. IV. Extrema provocatio. V. Jure vel injuriã damnatos contra vim legum ac judiciorum liberare, sive de capite & fama, sive de bonis omnibus agatur. VI. Fidelitatis & obsequii sine cujusquam exceptione præstatio. VII. Nummorum pretium, pondus & figuram præscribere.

a) *lib. 1. de Repub. cap. 8.* b) *lib. 1. cap. 10.*

VI.

Pleraque hæc à Bodino vitiosè ita dicta sunt. Nam primò Monarchæ majestatem ejusve jura per se non habent, sed ea à populo universo, tanquam vero Reipublicæ domino, acceperunt. Populus enim & prior & potior est Monarchis, quippe quos rectores & curatores Reipub. is creat & constituit.

Stephan. Jun. Brut. *in vindic. contr. Tyrann. quest. 3. & de jure magistrat. quest. 6. pag. 220.* Lambert. Danæus *lib. 1. polit. Christ. cap. 4. pag. 36. & seqq.*

VII.

Deinde majestas talis, qualem depingit Bodinus, nulla ne fingi quidem, nedum inveniri, potest. Nullus unquam princeps summus legibus solutus potestatem habuit. Naturalibus & gentium legibus Monarcham obstrictum esse *a* dubium nullum est.

a) *Nec contrarium probatur ex c. 8. 1. Samuel. Nam ibi verum & genuinum jus Regis (id enim alibi descriptum extat Deut. 17.) non describitur, sed de facto usurpatum.* Stephan. Jun. Brut. *in vindic. contr. Tyrann. quest. 3. pag. 122. 123. & seq. & de jure magistrat. quest. 6. pag. mihi 228.* Wilhelm. Zepper. *de legibus Moisaicis lib. 3. c. 8. pag. 215. 216. & 217. Horrenda igitur hæc est Julia norverca Bassiani Imperatoris vox: Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?*

VIII.

De legibus civilibus controversia est gravior. Quidam summum principem legibus pœnariis solutum dicunt; quos historia refellit, cum & olim à senatu sæpe Imperatores sint hostes judicati *a*, & Wenceslaumi ab Imperio Romano removerint Electores *b*; & Perla Chadaben suum regno

regno ejecerint, quòd contra regni leges peccasset. Quibus addatur Tarquinius superbus *c*, aliique complures passim ab historicis relati *d*.

a Suetonius in Neron. & alibi refert. *b*) Rapha. Volater. lib. 23. Bapt. Egnat. Johan. Cuspian. in vitis Imperator. *c*) Tit. Livius lib. 1. dec. 1. *d*) vide Lambert. Danæum lib. 3. cap. 6 pag. 221. & seq.

IX.

Alii distinguunt inter vim coercitivam & directivam: & quòd ad illam, principem legibus solvunt *a*, quia videtur nemo eum cogere posse; sed non quò ad hanc, quia teneatur eas servare. Sed & hæc distinctio corruit per ea quæ de Imperatoribus justâ pœnâ olim affectis thesi præcedenti dicta sunt.

a) Thom. Aquin. part. 1. art. 5. quæst. 96. Dom. Soto lib. 1. de justitia & jure, quæst. 6. art. 7. Gregor. de Valent. tom. 2. comment. Theol. disp. 7. quæst. 5. punct. 4. Fachin. lib. 1. controuv. cap. 2.

X.

Nos omisâ aliarum opinionum enarratione breviter statuimus, Monarcham seu principem summum, legibus civilibus, quibus ab eo non servatis Respublica aut honestas læditur, obligatum obstrictumque rectè dici.

Lambert. Danæ. lib. 6. polit. Christ. cap. 3. pag. 404. 405. 406. & 407.

XI.

Porrò è septem illis majestatis capitibus à Bodino relatis, quædam nec soli summo principi, nec ulli alii magistratui unquam convenire possunt nec debent. Ad solum principem non pertinet ferre vel abrogare leges Imperii statum concernentes *a*, quas vulgò, fundamentales appellant. In reliquis legibus civilibus condendis major ei libertas quidem data est, non tamen indefinita licentia; Id quod bene intellexerunt Imperatores Romani, Theodosius & Valentinianus, itaque ad legem in Republica Romanâ ferendam & promulgandam, omnium procerum palatii, tum patrum conscriptorum, hoc est, senatus, & universorum judicum consilium, consensum & suffragium exigendum esse rescribunt.

a) Danæ. d. lib. 3. polit. cap. 6. pag. 219. & pag. 222. *b*) in l. s. C. de LL. Hodie etiam in Imperio Germanico legem universalem condit Imperator cum assensu & consilio Electorum, Principum & civitatum Imperii; Unde iisdem legibus postea & Imperator tanquam ex contractu, & Status Imperii tantò fortius obligantur. Vide Recessus Imperii circa fin. ubi ferè invenies hæc verba Imperatorum ita loquentium: So haben wir uns demnach mit den Ständen des Reichs / vnd sie hinwiderumb mit uns verglihen / ic.

XII.

Soli quoq; principi absoluta belli indicendi pacisque ineunda potestas non rectè tribuitur; quum consensu ordinum & statuum a Republica, ut vel bellum vel pax fiat, opus sit. De salute enim univèrsæ Republicæ hîc agitur.

a) Alth. cap. 32. polit. pag. 458.

XIII.

Nulli magistratui, ac proinde nec principi summo, convenit, salvâ honestatis & iustitiæ lege, jure damnatos contra vim legum ac judiciorum liberare, si Lex divina certam pœnæ speciem definiat, eamque discretis verbis delinquentibus indistinctè irrogare jubeat a, nec arbitrio judicis relinquat b. Quòd si verò legibus humanis seu politicis pœnæ scelerum definitæ sunt, eatenus remittere vel mitigare potest eas magistratus, quatenus salus ratioque Republicæ id fieri iusta de causa summaque æquitate suadet & patitur c.

a) Magistratui enim injunctum est, ut non parcat sceleratis, neq; indulgeat, neq; occultet reum, sed auferat malum è medio sui, ut univèrsus populus audiat & timeat, Deut. cap. 15. vers. 8. & cap. 17. vers. 12. & cap. 19. vers. 19. Hebr. cap. 10. vers. 28. Non frustra is gladium gestat, sed Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit, Rom. 13. vers. 14. & 21. 1. Reg. 20. vers. 42. Exod. 21. vers. 14. Numer. 35. vers. 31. Petr. Martyr locor. comm. class. 4. loc. 14. num. 2 cum multis seqq. Danæ. Ethic. Christ. lib. 2. cap. 13. & polit. Christ. lib. 6. cap. 3. pag. 410. & seqq. & in Aphor. sacr. sub tit. de judic. criminal. num. 3. & 11. pag. 462. & seq. Zepper. de leg. Mosaic. lib. 5. cap. 8. Petr. Heig. 2. quest. 24. num. 33 usq; ad num. 44. b) Tunc enim pœnam augere, minuire, vel condonare potest. Exempla sunt Exod. 21. vers. 22. & 21. vers. 30. Deut. 25. v. 2. c) eatenus verò id fieri salus Reipub. patitur, quatenus I. scelera perpetrata merè humana sunt, id est, in homines directè, non autem in ipsum Deum committuntur, nec fontem generis humani extinguunt. Zepper. d. loco, pag. mibi 721. in princ. ubi exemplis hoc declarat. II. Si ex iusta & Republicæ necessariâ causâ remissio & mitigatio fiat, & quidem in iis duntaxat, qui bene de Republica publicè meriti sunt, quorumq; operâ vel industriâ domi vel foris omnino Republica carere non poterit. 1. Reg. 2. vers. 26. & 37. Lambert. Danæ. d. num. 11. in polit. pag. 463 & 464.

XIV.

Hactenus de Monarchiæ definitione Bodinianâ, quâ rejectâ non ampliùs subsistere potest opinio ejusdem, quâ Germanicum Imperium, non Monarchiæ, sed Aristocratia nomen mereri asserit a. Imperator enim est summus Imperii curator solus. Ergo Monarcha b. Electores & Principes sunt ordines & status Imperii.

a) lib. 2. de repub. cap. 6. num. marginal. 223. 224. & 225. & passim alibi. b) Nec quicquam

quicquam vel roboris vel consequentia illud Bodini argumentum habet: Imperator Romanus potest conveniri coram Comite Palatino Electore, secundum Auream Bullam: cap. 5. in fin. Ergo non est Monarcha.

XV.

Cæterum Monarchia Reipublicæ species antiquissima *a* est, & reliquis Reipublicæ speciebus melior & utilior à plerisque *b* existimatur. Quod nos ita simpliciter dictum verum negamus, eam censentes esse cuique populo vel genti Reipublicæ speciem optimam, quæ maximè illius moribus, ingenio, loco, commerciis, aliisque circumstantiis convenit *c*.

a) Gen. 10. vers. 8. & seqq. Talis enim status Monarchicus fuit in Republica Judaica sub Mose, & Josua, Deut. cap. 33. vers. 5. Gen. 36. vers. 31. Judic. cap. 17. vers. 6. & cap. 18. vers. 1. Exod. 18. vers. 13. & seqq. Josu. cap. 1. vers. 17. 18. & sub Saule, Davide, Solomone, & seqq. Regibus Judaicis, 1. Samuel. cap. 8. cap. 10. 2. Sam. cap. 7. 19. Deut. c. 17. Psal. 2. & lib. 1. & 2. Reg. *b*) Philippus Camerarius in oper. succ. c. 88. Gregor. Richter axiom. polit. 39. Petr. Greg. lib. 5. de Repub. c. 3. & 4. Bodinus lib. 6. de Repub. c. 4. Simanca lib. 3. de Repub. c. 2. & 3. Thom. Mor. lib. 1. c. 2. Lipsius lib. 2. civil. doct. cap. 2. Arist. lib. 8. polit. cap. 10. Cal. lib. 3. Spher. civit. c. 7. fol. 148. Hippolyt. in principio cap. 1. pag. 3. & seq. Melchior Jun. part. 1. polit. quest. 4. Althuf. cap. 32. pol. pag. 459. *c*) Ad gentis enim seu populi naturam & ingenium & imperium est atemperandum; Calvinus lib. 4. Instit. cap. 20. sect. 7. 8. 9. Danæus lib. 1. polit. Christ. cap. 6. in fin. & argumento eorum qua tradit Bodin. lib. 5. de Repub. cap. 1. & Lipsius lib. 4. civil. doct. c. 5.

XVI.

Utrum Monarcham semper masculum esse oporteat, nec foeminam ad imperii seu regni fastigium evahere fastutumve sit, valde anceps inter politicos *a* est disputatio. Regulariter foeminas à summo isto imperio excludendas *b*, nec nisi in duobus casibus admittendas putamus: Primò si prudentiâ & virtute excellant, quales multæ lectæ, auditæ & visæ sunt *c*. Deinde si turbæ, seditiones, bella, vastationes, & alia prohiberi mala non possint, nisi stirpe masculâ deficiente, foeminis imperium deferatur.

a) Gregor. Tholof. lib. 7. c. 11. Bod. lib. 6. c. 5. Alex. ab Alex. lib. 4. Genial. dier. cap. 11. Cal. lib. 2. Spher. civit. cap. 3. Melch. Jun. part. 1. quest. 13. pag. 74. Just. Lips. lib. 2. civil. doct. cap. 3. Lambert. Danæ. lib. 6. c. 3. pag. 396. & 397. Plato lib. 5. de Repub. Arist. lib. 1. polit. c. 8. Adde his tradita à Gocl. quest. Eth. 91. & quest. 101. *b*) sic in Repub. Romana legibus provisum est & cautum, ut regulariter mulieres ab omnibus officiis et vilibus & muneribus publicis arceantur, ut & lege Salicâ sancitum, ne Gallorum regnum incolum cadat. Sic nec alii populi in se admiserunt muliebri imperium, veluti Parthi, Macedones, Danæ. d. loco. *c*) ut Debora Judic. 4. Artemista Herod. lib. 8. Cornelia Græchorum mater, Quint. lib. 1. cap. 1. Candace in Meroë Insula Plin. lib. 6. cap. 29. Irenæ.

Leonis 4. uxor, Cuspian. 9. Isabella Hispanica & Elisabetha Angliæ Regina, de quâ
Casus in *Spharâ civit.*

XVII.

In Monarcha requiruntur heroïca pietas & probitas, mens alta & sublimis, alta & sublimia, piè tamen sapiens, voluntas ad magna, justè tamen inclinans, & sublimia, sed honestè affectans, fortitudo denique onerum multitudinem ac gravitatem superans.

XVIII.

Postulatur quoque in Monarcha singularis & admirabilis cùm consulendi tum exsequendi facultas, ut non solum subditis suis de iis, quæ ad eorum bonum pertinent, rectissimè consulere, sed etiam consiliorum suorum & legum executionem promovere possit.

XIX.

Cùm verò impossibile sit, ut unus tantum gubernationis munus rectè sine consilio & ope aliorum obire possit, ideo in majoribus & gravioribus negotiis publicis, Ephoros & optimates consulendos esse existimamus; & quidem Concilio & conventu ordinum totius Imperii seu Regni convocato seu indicto, in quo tractentur, deliberentur & decidentur negotia ardua Reipublicæ.

2. *Sam. c. 3. 17. 18. & cap. 5. 1. 2. 3.* 2. *Chron. c. 24. 17. 18.* *Alt. c. 14. polit. pag. 141. Vide & Greg. Tholof. lib. 24. de Rep. c. 7.*

XX.

Gravis est quæstio & anxie inter politicos agitata, utrum Monarcham seu summum principem ipsum, si sit belli tempus, præliis interesse, & in exercitu acieque versari oporteat, an potiùs per legatos pugnare, & administrare bella, ita tamen, ut ipse in præsidiis, vicinisque locis semper versetur, quò subsidia exercitui mittat, omniaque curet & subministret, quæ sunt exercitui & bello gerendo necessaria? Nos posterius *a* rejectâ priori contrariâ sententiâ *b*, amplectimur.

a) *Cum Danæo lib. 6. polit. Christi. c. 4. pag. 511. & seq. & Lipsius lib. 5. civilis doct. c. 14.* *b)* *quam sequitur Bodinus lib. 5. de Repub. c. 5. n. marg. 572. Hippolyt. in princ. c. 3. Melch. Jun. quæst. polit. 72.*

XXI.

Illud in Monarchia consultum videtur, ut magistratus inferiores, id est, officarii sint potiùs perpetui & immutabiles *a*, quàm annui seu ambulatorii, quamvis non malè alii existiment, tutius esse, ut quælibet gens ac Respublica videat, quid sibi ex usu sit & conveniat illi Politicæ formæ,

formæ, (sive Monarchia illa erit, sive Polyarchia) quam sibi delegit & prætulit b.

a) Secundum Bodinum lib. 4. de Rep. c. 4. Petr. Greg. Tholof. lib. 4. de Rep. cap. 5. n. 36. Alth. c. 32. polit. Melch. Jun. part. 1. quest. polit. 26. in fi. b) Lambert. Danæ. lib. 6. polit. Christ. c. 5. pag. 434. & seq.

XXII.

Monarchæ constitutionem vulgò Politici faciunt ordinariam, vel extraordinariam. Ordinaria est, quæ fit per electionem vel successionem. Extraordinariam vocant, quâ Monarcha aut jure belli a, aut ex pacto & jure fœderis b constituitur. Nos ordinariæ constitutionis modos, utpote veros & legitimos, sufficere putamus, atque hinc Monarchiam dicimus esse vel electivam, vel hæreditariam.

a) Cùm nimirum armis populus aliquis subigitur, atq; ita vi constituitur & acquiritur Imperium Monarchicum. Idq; duobus modis fieri ajunt: I. Cùm barbararum nationum populi subiguntur ac domantur, Arist. lib. 1. polit. c. 5. Lips. lib. 5. civil. doctr. c. 4. Malè. Invasio enim in barbaros juri naturali contraria est. Eleganter Henric. Bocer. de jure belli c. 3. lib. 1. ubi eruditè probat, neq; solam infidelitatem justam belli gerendi causam esse, neq; amplificationem Imperii, neq; gloriam aut proprium commodum principis, neq; violationem Juris nature, ut quòd infideles & barbari comedunt carnes humanas, & promiscuo concubitu utuntur. II. Cùm princeps à principe bello & armis excutitur. Hippolyt. in princ. c. 2. Non rectè. Nam si princeps vel populus vi superatur & sub imperio alicujus in vitus detinetur, non ut subditus, sed ut hostis captivus possidetur. Qui sic possidet, non Monarcha, sed tyrannus est. Si verò populus bello impugnatu se dediderit, & impugnantibus subjecerit, jam electio facta est. Consensu enim Regem, ante non Regem, suum sibi efficit. b) quo scilicet pacto seu fœdere Monarcha seu princeps extraneus extraneo succedit. Verùm cùm ejusmodi pactum & fœdus non censeatur legitimum, nisi sit reciprocum & comprobatum à populo utriusq; principis, satis liquet, hunc modum ad electionem pertinere. Sic ad electionem referimus illos modos (de quibus Bodin. lib. 2. de Rep. cap. 3. & Hippolyt. d. loco) quando nimirum emptione, donatione, cessione, permutatione imperium obvenit, si modo populus in alienationis speciem talem consentiat. Si enim dissentiat, transferri imperium ad alium non potest, quia ad populum Regni seu Imperii pertinet proprietates.

XXIII.

Magnus verò est virorum prudentissimorum juxtà & doctissimo- rum conflictus; utrum electio potior esse debeat quàm successio in Regnis & Imperiis? Plerique, ut Imperii tranquillitas, concordia, Reipublicæ salus, omnium & singulorum utilitas conservetur & propagetur, successionem præferendam esse argumentis fortissimis ostendunt a. Alii electionis viâ incommoda b, quæ in successione metuenda sunt, evitari, ac proinde præstabilius esse electione, quàm hæreditariâ successio-

ne imperia constitui. Nos utriusque, & electionis & successionis, commodis pariter & incommodis ponderatis, in priorum sententiam descendimus.

a) Bodin. lib. 6. cap. 5. Lips. lib. 2. doctr. civil. cap. 4. Cal. lib. 3. Sphæ. civit. c. 11. fol. 200.

b) Inter alia successionis incommoda & hoc est, quod si successor futurus sit puer, fatuus, impius, tamen is admittendus sit, secundum tradita à Lamb. Danæ. lib. 6. polit. Christ. c. 3. pag. 401. & pag. 416.

XXIV.

Electiva Monarchia est, ubi spreto natalium jure liberis populi suffragiis novus Monarcha eligitur.

XXV.

Hæreditaria Monarchia est, ubi regius honos hæreditarius est, & ad unam aliquam familiam à populo delatus.

XXVI.

Hæredi aut successori regni futuro, adeoque novo Monarchæ expedit, ubi prædecessor defunctus est, quamprimum sese ad Regni gubernacula capeffenda offerre; atque suâ præsentia & administratione omnem de rege futuro dubitationem aut rerum novarum expectationem præcindere.

2. Sam. 2. vers. 3.

XXVII.

Successor à prædecessore, principe summo seu Monarcha, moneatur accuratè, quid ipsi sit ad regnum venienti primùm omnium curandum, quibus malis & rebus maximè sit medendum, Hoc enim successor plurimum prodest, eumq; ab omni invidia liberat.

1. Reg. 2. vers. 1. Danæ. lib. 1. polit. Christ. in Aphoriss. sacris sub tit. regni hæres. n. 2.

XXVIII.

In regnis hæreditariis, etsi primogenito Regis defuncti filio regnum ipsum tribuitur ut plurimum, reliquis tamen filiis, fratribus istius primogeniti (si qui sint) quædam ditio, honestaq; conditio danda est, ut se suamq; familiam honorificè exhibeant, alioquin illi movent seditionem, aut etiam cogitationes de regno occupando suscipiunt.

2. Chronic. 21. vers. 3.

XXIX.

Eorum qui ex strenuis & beneficis Regibus nati sunt, beneficia continuata effecerunt sæpe Regna in eâ familiâ hæreditaria, eorundem autem Regis liberorum in populum insolentia effecit Regna electiva, id quod

quod Monarcharum liberis probè observandum est.

a) Polyb. lib. 6.

XXX.

Monarchiæ opponitur Tyrannis, quam qui exercet, Tyrānus dicitur. Dana. lib. 1. polit. Christ. in Aphoris. prof. sub tit. Quot Reipub. forma &c. n. 4 pag. 71.

XXXI.

Est autem Tyrannus vel absq; titulo vel exercitio.

Steph. Jun. Brut. in vindic. contra Tyrann. quaest. 3. pag. mihi 134. & de jure magistrat. quaest. 6. pag. 209. & 210.

XXXII.

Tyrannus absq; titulo est a, qui Rempublicam sibi non commissam, vi, scelere, vel malis artibus b, sine ullo justo vel electionis, vel successione titulo, aut belli justa causa, invadit sine consensu populi.

a) Talis fuit Abimelech, Judic. cap. 9. & Attalia, 2. Reg. cap. 11. 2. Chron. 23. Jun. Brut. d. loco. pag. 36. Pisistratus & Demetrius Phalereus apud Athenienses. Idem Jun. Brut. de jur. magistr. quaest. 6. pag. 210. Petr. Gregor. Tholof. lib. 6. de repub. cap. 18. lib. 7. cap. 17. & cap. 18. ubi plurima exempla ponit, & lib. 26. cap. 7. b) dum nimirum desidia, ignavia, luxu magistratus abutitur, illum deliciis & voluptatibus inescat, à rebus publicis cognoscendis & tractandis, & à gubernandâ Republicâ avertit, & ad se regiam auctoritatem & potestatem transfert, nudum nomen Regi relinquens, Jun. Brut. d. quaest. 3. pag. mihi 137. in princ.

XXXIII.

Tyrannus exercitio est, qui justo titulo magistratus summus fuit factus, sed degeneravit, & non ampliùs ex lege & moribus gubernat, nec quicquam eorum præstat, quæ in se recepit in pacto utroque cum populo & Deo inito a. Talis autem Tyrannus non protinus censendus est, quando in aliqua tantùm officii & gubernationis parte lapsus est. Hominem eum esse cogitandum est; unde vel optimi in officio quandoq; languent, nec tamen ideo ut tyranni habendi vel tractandi sunt b.

a) Jun. Brut. d. loco. Gregor. Tholof. lib. 6. cap. 18. de repub. & lib. 6. syntag. cap. 20. b) arg. 2. Sam. cap. 11. & ult. 1. Reg. cap. 11. Calvin. lib. 4. Inst. cap. 20. sect. 24. & seqq. 1. Samuel. cap. 15. vers. 31.

XXXIV.

Sed tum demum dicendus est tyrannus, quando malitiosè & hostiliter & consultò, datâ operâ, Rempublicam & Ecclesiam vastat, cultum Dei abolet vel profanat, & quæ Dei sunt affectans sibi vindicat & usurpat. In summâ, quando totis viribus ad statum Reipublicæ & leges Regni fundamentales mutandas vel evertendas, quantum in ipso est, enititur.

Ejusmodi tyrannus fuit Phatao Rex Ægypti, Exod. cap. 1. & 2. & seqq. Saul, 1. Sam. cap. 13. cap. 14. & seq. Achab & plures alii. Vide Petr. Greg. Tholof. lib. 22. cap. 7. de Repub. Nero, Caligula. Vide Jun. Brut. d. quest. 3. Calvin. d. lib. 4. Inst. c. 20. sect. 31. Lipf. lib. 6. polit. doct. c. 5. Bod. lib. 2. c. 4. de Repub. in quo cap. toto agit de tyrannide.

XXXV.

Sed ut naturam, mores & exitum Tyrannorum specialius & ad vivum magis depingamus, sequentia attendenda axiomata.

XXXVI.

Tyrannicæ naturæ sunt regnandi cupidæ, suspicaces & timidæ, nulli fidunt, quia perpetuè & vitæ suæ & regno metuunt. Et cum sint suspicaces, malè sentiunt de aliis, sine probabili ratione, & multa falsa sibi ipsi fingunt. Ut enim sunt malevoli, occultatores, fucati, pleonectici; ita ex suis moribus fingunt alios, metuunt ubique insidias; putant alios potentiam quærere, depravant aliorum rectè facta & ambigua.

Gregor. Richter *axiom. polit. 99.*

XXXVII.

Oderunt tyranni honestos cives, non solum vivos, sed etiam mortuos, & gaudent improborum consuetudine, quodq; indignissimum est, avidè arripiunt calumnias, quibus fascinati omnia in deteriorem partem flectunt. Si quis enim modeste eos colit, ab hoc se contemni atque extenuari putant: si quis verò plures honoris significationes exhibet, hunc tanquam assentatorem rejiciunt ac repudiant.

Otanes apud Herodot. lib. 3. referente Strigel. lib. 2. Chron. pag. 38.

XXXVIII.

Tyranni blandientes fallunt, comicâ facie agunt tragœdias, & tunc maximè metuendi sunt, cum vulpinam pellem induunt, & honores ac præmia pollicentur. Et si enim ore suo benedicunt, tamen corde suo maledicunt, aliud videlicet sentientes & aliud loquentes.

Gregor. Richter *axiom. polit. 96.*

XXXIX.

Summum in aulis Tyrannorum locum obtinent, assentator, delator seu susurro & obtrectator. Hi Tyrannos regunt & insidiosè meliores opprimunt. Hi verè grati sunt, quia se ad affectus Tyrannorum accommodant. Reliqui qui salutaria monent, negliguntur, aut tanti non fiunt quanti debebant.

Gregor. Richter *axiom. polit. 95.*

XL.

Tyranni ministros suos, quos evexerunt & aliquândiu unicè amant, ubi crescere illos vident dignitate, opibus, favore & studiis potentiorum, mox odiffe, clàm suspectam habere eorum felicitatem, & infidias illis struere incipiunt, ut inopinantes opprimant.

Gregor. Richter *axiom polit.* 93.

XLI.

Tyranni non sunt contenti vulgaribus suppliciis, sed excogitant nova genera suppliciorum, quasi non satis sit hominem semel mori.

Strigel. *lib. 2. Chron. c. 87.*

XLII.

Ob hæc & alia immania scelera, Tyrannicus status non est durabilis; Hinc omnis ferè Tyrannus Tragicum habet exitum. Non enim plus valet vis Tyrannorum, quàm consilium & decretum Dei, qui eorum impetum sæpe frangit.

Eleganter & prolixè hoc dictis & exemplis cum sacris tum profanis demonstrat Greg. Richter axiom. polit. 100. 101 & 102.

XLIII.

Id quod Deus facit vel immediatè, vel mediatè. Immediatè sine mediis & operâ humanâ. Mediatè vel per publicas vel per privatas personas Deus Tyrannos coërcet & punit.

XLIV.

Publicæ personæ sunt Ephori seu ordines Regni, qui universi & singuli Tyranno pro virili resistere tenentur. Cùm enim ex jussu & consensu populi jus creandi Magistratum habeant, etiam potestatem eum judicandi & removendi habent.

Petr. Gregor. Tholof. lib. 26. c. 5. & c. 7. de Repub. Lambert. Danæ. lib. 6. polit. Christ. lib. 5. c. 2. & lib. 6. c. 3. Calvin. lib. 4. Inst. c. 20. sect. 24. & seqq. Petrus Martyr in lib. Judicum c. 3. Stephan. Jun. Brut. de vindic. contr. Tyran. quest. 3. & de jur. magistr. quest. 6. Disfent. Bod. lib. 2. de Repub. c. 5. pag. mibi 328. Monarcham Tyrannum factum ab ordinibus Regni coërceri non debere nec posse existimans.

XLV.

Resistenti verò Ephoro debent se adungere subditi resistentis & cives patriæ amantes, qui salvam Rempublicam volunt a detrectantes ope, pecuniâ, vel consilio resistentem juvare, habentur pro hostibus & defertoribus b.

a) 1. Sam. c. 22. vers. 2. c. 25. vers. 13. & seqq. 1. Chron. c. 12. vers. 1. c. 18. vers. 21. b) d. 1. Samuel. c. 25. vers. 13. & seq. & c. 23. vers. 19. 20. Danæ. lib. 6. polit. in Aphorif. sacris subtit. de magistratribus n. 5. pag. 458.

XLVI.

Generales Ephori totius Regni defensionem aduersus Tyrannum suscipere debent. Speciales verò eam Regni partem tueri tenentur, cuius tutela & cura est ipsis commissa. Nec subditos & regionem seu provinciam, cui præsumt, deferere debent, nisi rebus omnibus priùs legitimè tentatis iisque deploratis & desperatis.

1. Sam. c. 27. vers. 12. & c. 21. vers. 1. 2. 3. 11. 12. & c. 22. vers. 1. 2. 3. 4. 5. Danæ. lib. 6. polit. Christ. in Aphorif. sacr. sub d. tit. de magistratibus inferioribus n. 3. in fin. pag. 458.

XLVII.

Uni tamen ex Ephoris vel statibus Regni, reliquis non consentientibus, non licet, quod universis, nimirum Magistratui summo adimere imperium, eumque privatum declarare vel interficere, vel extra territorii sui seu regionis sibi adsignatæ fines, illi resistere, vel eum persequi. Quod enim ad universos spectat, hoc singuli per se & separatim, reliquis vel maximâ eorum parte dissentiente, sibi usurpare non possunt. Licebit tamen parti vel singulis Ephoris aut Regni statibus sese subducere & ab illius Magistratus sui Tyrannici subjectione sese defendere.

Sic Libna civitas defecit à suo Rege, quòd ille deseruerat Deum, 2. Chron. cap. 21. & 2. Reg. c. 8. vers. 22. Jun. Brut. de jur. magistr. quest. 5. pag. mibi 218.

XLVIII.

Non priùs verò resistendum est Tyranno qui exercitio esse dicitur, quàm si Tyrannis ipsius sit nota & obfirmata, aliâque remedia non adsunt.

Gregor. lib. 26. c. ult. n. 8. 9. 10. Jun. Brut. in vind. contra Tyrann. quest. 3.

XLIX.

Nota & cognita ut fiat Tyrannis ejusmodi, necesse est ut Ephori regni Concilium indicant, & generalem omnium ordinum populi conventum cogant, in eoque Tyranni opera examinanda proponant & dijudicanda: vel si Ephori nulli sint, ad hoc ipsum à populo vindices & defensores publici constituentur.

Bodin. lib. 2. c. 5. Greg. d. lib. 26. c. ult. Ursinus dispos. ult. lib. 2. Danæ. lib. 6. polit. Christ. c. 3. arg. Jud. c. 6. vers. 34. 35. & seqq. 1. Sam. c. 24. vers. 10. 11. 12. 13. & c. 26. vers. 18. 19. 20.

L.

Obfirmata Tyrannis dicitur, quando sæpiùs ab Ephoris sine fructu & emédatione sui officii tyrānus admonitus, à tyrannide tamē non desistit.

2. Reg. c. 14. vers. 18. 19.

LI.

Alia remedia reprimendæ & evertendæ tyrannidis omnia priùs sint tentata

tentata semel atque iterum, ne ipso morbo remedia periculosiora existant. Non solum enim hic quid liceat, sed & quid expediat, explorandum est.

Stephan. Jun. Brut. *passim in vindic. contra tyrann. & de jure magistr. quest. 7. pag. 262.*
Obrecht *de bello constit. thes. 156. & seqq.*

LII.

Si tamen periculum sit in mora, malum verò ingravescat & vires acquirat, statim Tyranno obviam ire licet & resistere, ne morbus per moram curatu difficilis fiat.

Bod. *lib. 2. de Repub. c. 5. Judic. c. 6. vers. 34. & seqq.*

Resisti autem ei debet verbis vel armis. Verbis, quando verbis tantum Dei cultum violat, & Reipublicæ jura & facta oppugnat *a*. Vi & armis, quando armatâ manu & vi externâ Tyrannidem exercet *b*; & tunc licebit exercitum conscribere ex Regnicolis, confœderatis amicis vel aliis.

a) Bod. lib. 2. de Repub. c. 5. b) Bod. ibid. Lipsius lib. 5. doct. civil. c. 9. 10. Rantzov. lib. 1. commentar. belli, cap. 21. Machiavell. lib. 2. disput. c. 20.

XIV.

Haftenus de personis publicis, quæ Tyranno resistere possunt; privatæ personæ, hoc est, subditi, si Tyrannus sit exercitio, quia non habent usum & jus gladii, eo jure non uti *a*, sed quiescere & injuriam patientes, jugum Tyranni ferre *b* debent.

a) Matth. 26. vers. 52. Rom. 13. vers. 1. 1. Sam. 26. v. 9. b) 1. Petr. 2. vers. 18. arg. Jerem. 29. vers. 8. Baruch c. 1. vers. 11. Eccl. 10. vers. 1. Stephan. Jun. Brut. in vindic. contra tyrann. quest. 2. & 3. Bod. d. lib. 2. cap. 5. Danæ lib. 5. polit. Christ. c. 2. pag. 331. & seq. nisi tyrannidis ministris esse cogantur, vel quicquam facere, quod Deo sit contrarium. Nam tunc fugient in alium locum, ut obedientiam non resistendo, sed fugiendo declinent, Matth. c. 10. vers. 23. 2 Chron. c. 11. vers. 13. 14. Petr. Greg. lib. 26. c. 6. n. 24. & seqq. & cap. 7. per tot. Ursin. lib. 2. dispos. 44. & ult. Calvin. lib. 4. Institut. c. 20. sect. 23. Steph. Jun. Brut. d. quest. 3. & Danæ. d. loc.

LV.

At Tyranno absque titulo Regnum invadenti etiam privatæ personæ resistere possunt *a*. Est enim his Tyrannus alienus, cui populus nullo jurejurando vel jure est obligatus; unde ei tanquam privato & aggressori vim inferenti rectè à quovis Reipublicæ cive resistitur *b*.

a) 2 Reg. c. 11. 2 Chron. c. 23. Judic. 9. b) Bodin. lib. 2. de Repub. c. 5. & Petr. Gregor. Tholof. lib. 26. c. 7. de Repub. Steph. Jun. Brut. de vind. contra Tyrann. & de jur. magistr. quest. 6. pag. 210.

Quòd si Respublica oppressa in mutationem suarum legum ritè consentiat, & ille, qui absque titulo Tyrannus erat, titulum acceperit, ampliùs non erit huic resistendum. Factus enim est ex eo, qui ab initio Tyrannus fuit, magistratus legitimus & inviolabilis.

Jerem. c. 37. 2. Reg. c. 25. Jun. Brut. de vind. contr. tyrann. quæst. 3. & de jure magistr. quæst. 5. pag. 206.

AD ORNATISSIMUM
JUVENEM DN. PAULUM KUT-
NAUR, auditorem & ami-
cum chariss.

Ordine qui discit, sapienter discit: & iste
Progressum studii sentiet inde sui.

Qui stabiles ades molitur, præstruit ima,
Et fundamentum firmiter ante locat.

Qui prius educit calo fastigia cæli,
Limina quam ponat, desipit ille nimis.

Ergo facis rectè, dum Juri nobile templum
Civili fundas fortiter arte soli.

Sic doctrina tuâ non lubrica mente sedebit,
Et, quod scis, verè te quoque scire scies.

Sit, quod agis, felix faustumq;, industrie Paule,
Ut metas hinc fructus patria clara suos.

Matthias Martinus, S. S. Theologiæ
Professor in illustri schola Sige-
nensi, faciebat 2. Jun. 1607.

AD DN. PAULUM KUTNAUR
de Monarchiâ disputantem

è nîyεα, ηεα.

Unicus in toto lucet Sol fulgidus orbe,
Rex velut in cunctis sideribusq;, nitet.

Unicus ille ampla conservat germinaterra,
Omnia quæ vivunt lumine salva foret.

Si bini fuerint Soles, confusio magna
Extaret, salvum nil & in orbe foret.

Nam nimio quæ vi exusta calore videret,
Aspera terra foret fertilitatis inopi.

Sic & in imperiis ubi plures scepra capeffunt,
Inverso fieri ordine quæq;, solent.

Alter enim prohibet, modo quod jam præcipit alter:
Hæret in ambiguo plebs tremebunda metu.

Non potuit juvenis Pellaus ferre Davium
Pompeii insensus Julius osor erat.

Ut Deus est unus, totum qui temperat orbem,
Sic Rex in regno quolibet unus erit.

Agmine prudentum circumdatus esto virorum,
Consilium quorum pareat ille bonis.

Hæc tu dum tecum meditari, Paule, beatum
Et florens regnum quod sit, in arte doces.

Hoc ego collaudo studium: quod dilige deinceps,
Quem facis, ille tibi est non sine fruge labor.

M. Henricus Gutberleth, in
schola Sigenensi Profes-
sor, faciebat.

F I N I S.

tentata semel atque
stant. Non solum eni-
dum est.

Stephan. Jun. Brut. *pa*
Obrecht *de bello conf*

Si tamen pericu-
acquirat, statim Tyr-
moram curatu diffici-

Bod. lib. 2. *de Repub. c. 3.*

Resisti autem ei-
tium Dei cultum violen-
tis, quando armata
licebit exercitum conse-


a) Bod. lib. 2. *de Repub.*
lib. 1. *comment. ar. belli,*

Hactenus de p-
privatae personae, hoc
bent usum & jus gla-
tientes, jugum Tyr-
a)

Matth. 26. vers. 52.
rem. 29. vers. 8. Baruch
tyran. quast. 2. & 3. Bod.
tyrannidis ministri esse
tunc fugient in alium
Matth. c. 10. vers. 23. 2.
cap. 7. per tot. Ursin. lib.
Brut. d. quast. 3. & Dana

At Tyranno abs-
nae resistere possunt
lo jurejurando vel jur-
fori vim inferenti re-

a) 2. Reg. c. 11. 2. Chron.
Tholof. lib. 26. c. 7. *de Re*
quast. 6. pag. 210.



8
offiora exi-
exploran-

7. pag. 262.

at & vires
orbis per

erbis tan-

Vi & ar-

b; & tum

s vel aliis.

Rantzov.

possunt;

a non ha-

ariam pa-

18. arg. Je-

ndic. contr.

& seq. nisi

rium. Nam

o declinet,

& seq. &

Steph. Jun.

tae perfo-

ulus nul-

& aggress-

tr. Gregor.

ur. magistr.